



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim**

**Innozenz <III., Papst>**

**Parisiis, 1682**

Vniversis Praelatis & Clericis diocesis Pinnensis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-20006**

æ Ecclesiæ personaliter exhibuerit, stallum in choro & locum in Capitulo juxta ipsius Ecclesiæ confuetudinem non differat assignare. Si verò prædictus Archiepiscopus, quod non credimus, mandatum nostrum distulerit vel neglexerit adimplere, volumus & præsentium vobis auctoritate districte præcipimus quatenus vos id auctoritate nostra sublatu appellationis obstaculo exequi minimè postponatis. Cùm autem præfatus Al. pacificam ipsius Magdeburgensis præposituræ possessionem fuerit asseditus, liberum sit eis ad quos donatio præposituræ sanctæ Mariæ ad gradus, quam priùs idem habuerat, pertinere dignoscitur, de ipsa præpositura quod canonicum fuerit ordinare. Quòd si omnes &c. duo vestrum &c. Datum Laterani XIII. Kal. Martij, pontificatus nostri anno secundo.

## STEPHANI BALVZII

## TVTELENSIS

## ADMONITIO AD LECTOREM.

**R**EGESTUM hoc Innocentij III. esse mutilem faciliè colligimus ex annalibus Rogerij de Hoveden: qui cùm narrasset ea, quæ apud Innocentium isto anno egit Gilardus Episcopus Menevensis pro restituenda veteri dignitate metropolitica Ecclesiæ Menevensis, demum addit eundem Gilardum sive Gilardum epistolam ab Innocentio ea de re scriptam ad Hubertum Cantuariensem Archiepiscopum in ejusdem Papæ registro scribi procurasse ad perpetuum rei memoriam. Et tamen certum est epistolam illam non extare in hoc secundo libro, quamvis anno M C X C I X. data dicatur. Adferam autem ipsa Rogerij verba; ex quibus discemus mutilem esse, ut dictum est, hoc regestum, simili que intelligimus quid in illa Innocentij epistola, qua hæc tenus latet, continetur; ne quid heic, quantum fieri poterit, desideretur. Eodem anno ( M C X C I X. ) Magister Gilardus Menevensis electus suscitavit controversiam super iure metropolitico Ecclesiæ Menevensis, jus ejusdem Ecclesiæ & pristinam Metropolitanam dignitatem coram Domino Innocentio Papa tertio & Cardinalibus, videlicet Octoviano Hostiensi & . . . . Portuensi & Iohanne Albanensi Episcopi Cardinalibus, & Iordanu de Fossanova, & Sepredo, & Iohanne de S. Paulu, & Iohanne de Salerno, & Gratiano, & Hughelno, & Huguncione Cardinalibus publicè protestando. Et infra: Cuius rei occasione, & ad prædicti Gilardi instantiam jus Ecclesiæ sua publicè in Curia Romana protestantis, Innocentius Papa Huberum Cantuariensem Archiepiscopum super statu Menevensis Ecclesiæ & dignitate metropolitica litteris suis citavit. Quæ etiam litteras prædictus Gilardus ad perpetuum rei

geste memoriam in ejusdem Papæ registro scribi præcuravit. Precepit etiam idem Papa prædicto Archiepiscopo quatinus supradicto Giraldo Menevensi electo ita consecrationem impenderet quod sacramentum illicitum, quale extorquere solebant predecessores sui ab Episcopis sancti David, scilicet de non prosequendo iure metropolitico contra Cantuariensem Ecclesiam, non exigere, sed tantum canoniam obedientiam juxta communem formam facere. Precepit etiam idem Papa Lincolniensis, Dunelmensis, & Eliensis Episcopis quod si Archiepiscopus Cantuarius sepedictum Gilardum consecrare differret, ipsi apostolica auctoritate freti illum consecrare non differrent. Haec tenus Rogerius de Hoveden. Vanum portò, ut hoc etiam dicamus, & inutilem fuisse hunc Gilardi conatum docet Gervafius monachus Dorobernensis in Actibus Pontificum Cantuariensem: ubi ait Hubertum Cantuariensem Archiepiscopum cassasse ambitionem Gilardi, qui Menevensis Ecclesia in Curia Romana se dicebat electum, & alium sacravisse canonicè electum. Vnde colligimus paritum non fuisse litteris Innocentij, quæ per subreptionem imputatae fuerant.

Itaque cùm vel ex hoc loco constet hunc regestorum Innocentij III. librum esse imperfectum, quem aliunde videmus rudem ferme indigetamque molem esse, prout haec tenus editus est, cùm eodem interdum epistolæ bis illic descriptæ reperiuntur ad verbum, rem non inutilem nec ingratam viris eruditis & istarum rerum studiofis me facturum putavi, si quemadmodum in fine libri primi nonnullas epistolas addidi que in superioribus editionibus non extabant, ita in istius fine nonnullas adderem quæ haec tenus cum Innocentij III. epistolis editæ non sunt, quæ verò pertinent ad secundum annum pontificatus ejusdem Innocentij. Eorum nonnullas erimus ex tabulariis Ecclesiarum ac monasteriorum, alias ex lucubrationibus clarissimorum virorum Odorici Raynaldi, Iohannis Lauñoij, Ferdinandi Vghelli, Iohannis Maria Campi, Iohannis Lucij Dalmatin, & Petri Garielli.

Sed & illud te monendum existimavi, Lector, Constitutionem pro Iudeis, quæ in hac editione nostra numero cccxi. notata reperitur, editana fuisse à Materno Cholino in fine libri secundi, monito interim lectorे non extare in aliis editionibus. Nos, non antiquitatem editionis, sed ordinem temporum sequuti, eam in loco reposuimus quem nunc occupat in hac editione.

Demum, ne quis offendatur quod in fine istius libri non edidimus juramenta Comitis Hildebrandini & Petri Praefecti Vrbis, quæ ad calcem hujusce libri retulerat idem Cholinus, moneo illa à me relata esse suprà in appendice libri primi, ea de causa, quod ad annum primum pontificatus Innocentij pertineant circa controversiam.

UNIVERSIS PRÆLATIS  
& Clericis dioecesis Pinnensis.

**I**nnocentius Episcopus servus servorum Dei dilectis filiis universis Ecclesiarum Prælatis & Clericis Ecclesiæ Pennensis lege dioecesana subiectis salutem &

Epist. 290.  
Ut Episcopo  
suo respondat  
de decimis,  
mortuariis, &  
oblationibus.

## 534 Epistolarum Innocentij III.

apostolicam benedictionem. Significavit nobis venerabilis frater noster Pennensis Episcopus quod non sibi de decimis, & mortuaris, oblationibus, & aliis justitiis respondetis. Quia vero fratres copiscopos nostros specialiter volumus in suo jure tueri, discretioni vestrae per apostolica scripta mandamus & districte præcipimus quatenus ei sicut diocesano vestro de decimis, mortuaris, oblationibus, & de universis justitiis episcopali bus, sicut canonica fancit auctoritas, cures sine diminutione qualibet responderem, nonobstante si ea sibi vel prædecessoribus ejus aliquando per laicalem potentiam subtraxisti. In causis etiam matrimonialibus, pœnitentiis homicidiorum & oppressionum insontium, & in aliis etiam quæ præter ipsius fieri auctoritatem non habent episcopalem, vobis jurisdictionem nullatenus usurpetis. Alioquin sententiam quam propter hoc in vos rationabiliter tulerit, faciemus auctore Domino rationabiliter observari. Datum Laterani Idib. Martij, pontificatus nostri anno secundo.

### ILDEBRANDO EPISCOPO Vulterrano.

*Epist. 191.  
De confirmatione privilegiorum.*

*suprà lib. 1.  
epist. 537. remissimus lectorem  
ad epist. 191. libri secundi. Sed  
arratum est in numero. Vide  
infra epist. 199.  
& seq.*

Innocentius Episcopus servus servorum Dei venerabili fratri Ildebrando Vulterrano Episcopo salutem & apostolicam benedictionem. Quæ ad Ecclesiastarum augmentum à Principibus secularibus aut viris ecclesiasticis indulgentur, gratanter admittimus, & gratis apostolice sedis præsidio communimus. Quod circa te ac Ecclesiam Vulterranaam tanto libenter adimplemus, quanto te nobis & Ecclesiae Romanæ fideliorum invenimus, & in pluribus tuam sumus devotionem experti. Eapropter, venerabilis in Christo frater, tuis justis precib⁹ annuentes, libertates, imunitates, dignitates, & jurisdictiones tibi & Ecclesiae Vulterranensi à Principibus sive à quibuscumque personis ecclesiasticis vel secularibus provida deliberatione concessas ratas esse decernimus, & mandamus in posterum inviolabiliter observari. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc nostræ concessionis paginam infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumperit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noviter incursurum. Datum Laterani IX.

Kal. Aprilis, pontificatus nostri anno secundo.

### WILLELMO DE BIERIA Presbytero.

*Epist. 192.  
Recipitur sub protectione a potestate.  
Vida Stephanus.  
Tornac. epist. 176.*

Innocentius Episcopus servus servorum Dei dilecto filio W. de Bieria Presbytero salutem & apostolicam benedictionem. Sacrosancta Romana Ecclesia devotos & humiles filios ex assuetæ pietatis officio propensiū diligere consuevit, & ne pravorum hominum molestiis agitentur, eos, tanquam pia mater, suæ protectionis munimine confovere. Eapropter, dilecte in Domino fili, personam tuam cum omnibus bonis tam ecclesiasticis quam mundanis quæ in praesentiarum rationabiliter possides, aut in futurum justis modis præstante Domino poteris adipisci, sub beati Petri & nostra protectione suscipimus. Specialiter autem Ecclesiam de Franchart, cum decimis, redditibus, censu, possessionibus, & omnibus pertinentiis suis, sicut eam justè possides & quietè, auctoritate tibi apostolica confirmamus, & præsentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ protectionis & confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem &c. Datum Laterani IIII. Kal. Maij, pontificatus nostri anno secundo.

### ARCHIEPISCOPO MAGNTINO, Episcopo Sabinensi.

*Epist. 193.  
De ecclesiæ Imperatoriis.*

S Olidata in devotione sedis apostolicae fides tua, & in obsequio ejus probata tempore juventutis, non deficiet, immo proficit fortius in ætate matura; nec frigescet etiam frigescente corpore, sed de die in diem amplius incalescet. Qui enim, cum Petri quondam navicula jaçaretur fluctibus, & venti & mare insurgerent contra eam, ita ut nunc de scopulosis fluctibus pendere videretur in præceps, nunc inter intumescentes undas, imas formidaret arenas, cum Reges terræ ac Principes astitissent in unum adversus eam & Christum ejus, illi fideliter & inseparabiliter adhæsisti, pro ea in mortem & in careerem ire paratus, nec minas Principis nec latentes insidias nec proprium exilium expavescens, jam nunc, cum cadentibus fluctibus & vento spirante proprio aquora noscitur sulcare pacata, & Petrus veteri timore depo-